



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput VI. De secundo instrumento, quod est cordis munditia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

CAPUT VI.

De secundo Instrumento,
quod est cordis munditia.

Equitur jam, ut DEI favore & auxilio per orationem nobis conciliato, studeamus nos simul, divino illius lumini congruenter recipiendo, per expulsionem vitiorum parare. Si enim hæc animum occupent, nihilo ille erit ad DEUM cognoscendum habilior, quàm habilis ad corporum formas perspiciendas oculus sit, luto respersus: quemadmodum Vates Regius de se fatebatur, jam in sua crimina spiritualis cæcitatæ suæ causam rejiciens, (Ps. 39.) *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem;* jam divinæ legis observationi accepta referens, quæ de divinis mysteriis sciret, (Ps. 118.) *A mandatis tuis intellexi.* Ex quibus illius verbis eruit S. Bernardus, quàm necessaria ad claritudinem contemplandi sit integritas vivendi: (Serm. 49. in Cant.) *Scias, nisi obedientiæ mandatorum, contemplationis gustum penitus non deberi.* Et sanè quinam componi invicem queant DEI perspicientia, & mundi amor, mentis sublimitas, & cordis depressio, celestis luminis claritas, & affectuum terrenorum

rum caligo? Ægyptii omnium primi feruntur Astronomiam invenisse: (*Plat. in Epin.*) Idque ea de causa, quia cælum apud illos plerumque sudum, & nebularum expers liberioribus oculis permittebat mundi superioris prospectum. Quam iis contemplandorum siderum facultatem nativi aëris perspicuitas tulit; eam nos quærere à puritate animi oportet, ut siderum Conditores liquidius intueri possimus, Quamò hic sincerior à terrenis vaporibus fuerit, tantò commodius, & ampliori cum profectu cælestium arcanorum contemplationi vacabit. Cerne stagnum, ajebat B. Aloysius Gonzaga. (*March. in V. L. 2. c. 6.*) Si defœcati, immotique illius latices sint; quidquid obiciatur, iconicè adeò repræsentant, ut oculus intuentis penè decipiatur, vixque ab exemplari dignoscere imaginem noverit. At vento agitati, cœnove infecti objectarum rerum similitudinem vel nullo modo referunt, vel ità confusam, ut nihil in ea veri propriique decoris appareat. Sic animus noster, ubi tranquillus, atque integer est, illapsas è cælo divinarum rerum species exactissimè reddit. Sed, fac, prava quæpiam affectio eum inquinet, perturbétque; jam cælestia illa objecta vel minimè ibi imprimuntur, vel à se ipsis, & germana sua pulchritudine prorsus di-

versa. Denique mundis corde visio DEI tanquam dos & beatitudo eorum propria in Euangelio spondetur. Quisque cum Moyse optat propius accedere ad rubum, & divina ibi arcana rimari, (Exod. 3.) *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*; necesse est, ut ad ejus exemplum, *solvat calceamenta de pedibus suis*: nempe, ceu interpretatur D. Bernardus, (Serm. de B. M. V.) *Ponat involucria carnalium cogitationum*, quarum similitudinem referunt circumjectæ pedibus brutarum animantium exuvix.

2. Animadvertendum tamen hîc est, licet ad eam, de qua loquimur, cordis puritatem, opus sit pravos omnes tum actus, tum affectus ab animo excludi; peculiari tamen & præcipua ratione pravorum affectuum expulsionem requiri: utpote qui mentem magis excæcant, Deoque cognoscendo minùs habilem reddunt. Exemplum habemus in oculo, quicquid innata videndi facultate utatur, impediri dupliciter potest: vel quòd nimirum contrarii aliquid extrinsecùs ipsi inciderit; vel quòd noxio quopiam humore, aliòve vitio penitus inhærente obsideatur: cum hoc tamen inter duo ejusmodi impedimenta discrimine, quòd primum, utpote adventitium, nec longi temporis morâ, nec magno labore abigitur: at, summovendo alteri, exquisita remedia, &

diu-

diutinam curationem adhibere opus est, vix-
que interdum fat prodest. Similes primi ge-
neris impedimento sunt actus pravi: obnubi-
lant animum, quamdiu ibi adsunt. Sed eos
amoliri nec prolixi temporis, nec operosi co-
natús res est. Damnes modò illorum perversi-
tatem contrario voluntatis actu; jam nulli
sunt, jam perinde est, ac si nunquam fuissent:
jam sua menti prior limpitudo & sinceritas re-
dit. At vitiosi affectus, utpote altiùs animo
infixi, difficiliori multò, & longiore purga-
tione opus habent: síque hæc negligatur, cæ-
cam omnino, nedum minùs idoneam DEO
intelligendo mentem relinquunt. *Frustra si-
quidem, teste Cassiano, (Coll. 14. c. 2.) Ad
conspèctum DEI tendit, qui vitiorum contagia non
declinat: & si Apostolo credimus; Animalis ho-
mo (propriis videlicet brutarum animantium
cupiditatibus serviens) non percipit ea, quæ sunt
Spiritus DEI. (1. ad Cor. c. 2.)*

3. Neque verò ipsamet communis expe-
rientia non apertè id confirmat. Cùm vel
spirituales viri, esto à culpis gravioribus va-
cui, sentiant nihilominus, quantum ad divi-
na mysteria non solùm percipienda, sed merè
animo ruminanda, sibi obsit inordinata quæ-
libet rerum pereuntium cupiditas: vel non
permittens, ut libero mentis nisu ad cælestia

se attollant; vel indè quamprimum ad inferiora & caduca, terrenas nimirum cogitationes & curas, nativo pondere illos retrahens. Si verò homines intueamur mundo addictos, & morbidis hujuscemodi humoribus penitus imbutos; quis dignè explicaverit, quàm infirmam obtusamque habeant mentis aciem, quibus in tenebris degant, quàm nullam æterni solis videndi facultatem retineant? Cujus admirandas proprietates, ac prærogativas si commemorari audiant; nihilo magis se inde affici ostendunt, quàm si ignotissimo quopiam, Arabico putà, vel Sinensi, sermone enuntiaretur: comprobantes illud S. Joannis Damasceni esatum, (*Paral. L. 3. c. 66.*) *Carnalis homo mentem in carnis affectu tanquam in carne defossam gerens, spirituale veritatis lumen perspicere nequit.* Quare D. Gregorius in eo Jobi versiculo, ubi negatur in mari esse sapientiam, (*c. 28.*) *Mare loquitur, non est mecum;* maris nomine hujuscemodi homines bene exprimi putat: (*L. 18. Mor. c. 25.*) utpote qui turbulentis pravorum affectuum motibus, tristisque amarore, ob crebros eventus suis votis, & consiliis adversos jactati, nimis quàm inconueniens divinæ sapientiæ sunt locus, deque illa ideo fateri coguntur, *Non est mecum.* Nec alios, quàm eisdem, visus est S. Augustino, indicasse D. Jo-

an.

annes, ubi scripsit, (c. 1.) *Et mundus eum non cognovit.* Nam quæ tandem una ex creatis rebus, unde mundus conflatur, non palàm ostendit, suum à se Authorem, Dominumque cognosci. Num Angeli? num cæli? num elementa? num aliæ vel præditæ, vel carentes sensu naturæ? minimè quidem. Etenim omnia undique testimonium perhibuerunt. Quinam igitur designantur mundi hujus tam cæci atque ignari vocabulo? Non alii, concludit S. Doctor, quàm homines terrenis rebus dediti, quàm qui bonis sensibilibus plus æquò inhiant, quàm ii demum, qui, *amando mundum, dicti sunt mundus.* (Fr. 2. in Joa.) Hi enim verò, hi mundus sunt, qui supremi Conditoris sui notitiam minimè habuit: imò qui neque habere illam potest, uti apud eundem S. Evangelistam Christus addidit, Spiritum suum vocans, *Spiritum Veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* (c. 14.)

4. Quod si aliquis nosse ulterius desiderat, undenâ, quove pacto hisce obsiti sordibus ad divina percipienda, cæci adeò & inhabiles sint. Duas illi possum quæsitæ rei causas reddere, alteram à DEO, alteram ex hujusmodi hominibus desumptam. Primum itaque ex justo DEI judicio id contingit, qui cælestis sapientiæ suæ donum non adeò parvi æstimat;

ut in fæculentas istiusmodi animarum cloacas
 projiciendum putet Vel humanam eloquen-
 tiam cum fordidis moribus sociari indignissi-
 mum Senecæ est visum; causamque, cur ea
 suis temporibus penè in totum defecisset, in
 communes vitiorum corruptelas rejecit, qui-
 bus vulgò infecti juvenum animi erant, (*Pref.
 L. I. Controv.*) *In hos nè Dii tantum mali permit-
 tant, ut eloquentia cadat? Quam non mirarer, ni-
 si animos, in quos se conferret, eligeret.* Balsa-
 ma, & alios ejusdem pretii liquores non ni-
 si in puris, & selectis vasis asservari mos est:
 eamque, ubi veteris legis tabulæ debebant
 custodiri, arcam jussit DEUS tum ex lignis
 cariam nescientibus compingi, tum auro pro-
 bè perpurgato incrustari. (*Exod. 25.*) *Deau-
 rabis eam auro mundissimo intus & foris.* Un-
 dè licet arguere, num pro sacrario, ubi exi-
 mias divinitatis suæ notiones reponat, dele-
 cturus sit corda impura, corda sædo situ ob-
 sita, & sordibus vitiorum scatentia. Apage,
 apage, nihil rationi absolum magis; dehone-
 stare hoc foret sua munera, contraque inter-
 dictum à se ipso promulgatum (*Matt. 7.*) *Dare
 sanctum canibus, & mittere margaritas ante por-
 cos.* Absolutissimam ipsius puritatem per-
 pendens, jure optimo Habacuc profitetur,
 (*c. 1.*) *Mundi sunt oculi tui, nè videant malum,*

&

& respicere ad iniquitatem non poteris. Sed, si verè ipse dicitur, non posse ad humanam improbitatem purissimos suos obtutus convertere; verissimè item dixerimus, neque hanc posse in omnimoda ipsius integritate sordentes suos obtutus defigere. Idque adeò sat disertè confirmatum ab Isaia est, ubi, impios alloquens, scripsit, (c. 59.) *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis.* Denique si perfecta DEI visio, qua beatæ Cælitum mentes fruuntur, donum est inæstimabilis pretii, neque exiguo sanè in pretio haberi meretur supernaturalis ejusdem cognitio, qua potiri, eo juvante, mortalibus licet, quæque in terrestri hoc exilio supernæ illius intimæque visionis quoddam est veluti supplementum, & pignus. Jam verò compertissimum cuique est, quantam DEUS exigat ab animabus in cælesti sua Regia se visuris munditiem, quàmque inexorabili severitate in lustralibus flammis eas pergat excoquere, nullum purificandi finem faciens, quoad ibi omnino posuerint, quidquid sordium, ac vitiorum ex terreni corporis contagione hauserant. Et nihil interea purgationis exacturum ab iis arbitrabitur, qui mysticam Divinitatis suæ cognitionem affectant: sed indifferenter promif-

miscuèque omnes eâ dignaturum, cujuscun-
 que tandem conditionis & meriti, bene, an
 secus comparati, mundi, an sordidi, innocui,
 an fontes ii sint? Nè id unquam credamus,
 monet D. Bernardus. Fallere ultro se ipsum
 esset, sibi talia persuadere. (*Serm. 62. in Cant.*)
*Impuris non se ostendit Veritas. Vanum est vobis,
 ante lucem surgere. Lux est puritas.* Priusquam
 hujusmodi lux exorta in animo fuerit; nihil
 est, cur quis speret, seu in cælo DEUM aper-
 tè intueri, seu rite in terris cognoscere. Quem-
 admodum enim in primo supernæ illius Hie-
 rusalem limine insculptum legitur, (*Apocal.*
21.) *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum,
 aut abominationem faciens (c. 22. Ib.) Foris canes,
 & venefici, & impudici;* sic in primo Sapien-
 tiæ capite scriptum extare Spiritus sanctus il-
 lud monitum voluit: *In malevolam animam non
 intrabit Sapientia.*

5. Quod verò ad ipsum hominem perti-
 net, nimirum quàm multa, &, vel finè ulte-
 riori probatione, per se satis manifesta sunt
 impedimenta, quæ inordinati, perversique
 sui affectus ei objiciunt, nè DEUM rite possit
 agnoscere. Inprimis, quantò objectum quod-
 que est sublimius, humanis à sensibus, com-
 munique usu remotum magis; tantò attentio-
 rem, ut probè percipiatur, ac ab aliis curis
 ma-

magis vacuam mentem requirit. Atqui inter omnia, quæ contemplari noster animus potest, nihil est tam sublime, tam sensibus inaccessible, tamque ipsius mentis comprehensionem excedens, quàm Esse divinum. Quoniam pacto ad illud percipiendum, ad justam tanti objecti speciem formandam esse habilis poterit, cujus mens innumeris rerum sensibilibium imaginibus scatet, perque alias & alias præsentis vitæ curas continenter distrahitur? Audiamus Gregorium Magnum, (L. 5. Moral. c. 8.) *Nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè in infimis occupatur. Quid enim de DEO occupata obtineat, quæ apprehendere aliquid de eo, etiam vacans, laborat? Bene autem per Psalmistam dicitur: Vacate, & videte, quoniam ego sum DEUS. Quia, qui vacare DEO negligit, sub sibi iudicio lumen ejus visioni abscondit.* Si licèt tuæ fronti per idem tempus oculorum uno cælum, alteroque terram spectare; licebit & menti cogitationes suas ad DEI contemplationem furrigere, easdemque in terrenis simul rebus defixas habere. Vel quando ad disciplinas incumbitur, quæ circa materiam sensibus familiarem versantur, neque ideo magnam admodum & extraordinariam attentionem requirunt, experientia nos docet, minùs in qualibet profici, si

ope-

opera simul pluribus detur : non valente , ut animadvertit Aristoteles , (*L. 2. Magn. Moral. c. 19.*) imbecillâ humanæ mentis virtute in plurima pervenire : id est , multa simul objecta contemplari , quin , quantum uni sedulitatis atque operæ impendit , tantum aliis subducatur. Cúmque de acquirenda DEI scientia agatur , scientia omnium abstrusissima , immensæque amplitudinis , & cui vix vel tota humanæ mentis intentio par est ; suffecturam putabimus quantulamcunque illam curæ studiique partem , quàm hominibus mundo addictis suæ tam multiplices , tamque assiduz , & cordi penitùs fixæ temporalium bonorum sollicitudines reliquam faciunt ? *Magna & spatiosa res est sapientia. Vacuo illi loco opus est* , scripsit Seneca de humana Philosophia. (*Ep. 88.*)

6, Parum tamen esset , si rerum terrenarum amor haud aliter nostros in cælesti hæc scientia impediret progressus , quam sibi usurpando , illique auferendo totum penè nostrum tempus , omnes penè nostras cogitationes & curas. Pergit , teste D. Cyrillo , (*Dial. I. de Trin.*) immani suarum sollicitudinum sarcinâ ità mentem obruere , ut hæc instar volucris , cujus alæ prægravi humore penitùs madidæ sunt , nè illo quidem brevi tempore , quod divinis rebus considerandis seponit , ad eas
pos-

possit, citra sumum laborem, & nisum se at-
tollere. Pergit insuper assiduo sensibilibus
specierum usu hebetare adeò spirituales ani-
mæ auditum & visum, ut illa, cælestium il-
lustrationum, & divinarum vocum sensu pe-
nè in totum amisso, (*Luc. 8.*) *Videns non vide-
at, & audiens non intelligat.* Pergit denique
voluntatis palatum usque adeò vitiare, & cor-
rumpere, ut nihil illa gustus percipiat, nisi
ex bonis sensibilibus, & brutorum pecudum
propriis, juxta illud Apostoli effatum; (*Ad
Rom. 8.*) *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis
sunt, sapiunt.* Imò non insulsum duntaxat,
sed amarulentum præterea, & gustatu into-
lerabile ei facit videri, quidquid ad spiritua-
lem vitam pertinet. Unde fit, ut multæ ex
istiusmodi animabus, pro eo ut DEUM quæ-
rant, omni potius conatu ab illius, etiam ul-
trò sese offerentis commercio, aspectuque
refugiant: procul eum abigentes contumelio-
sis iis verbis, quæ in sacra Jobi Historia re-
feruntur, (*6. 21.*) *Recede à nobis, & scientiam
viarum tuarum nolumus:* Totam scilicet men-
tem, quàm longissimè possunt, ab illo aver-
tentes, tanquam ab importuna odiosa mole-
stæque rei specie, eodem prorsus pacto, quo
D. Augustinus advertit, (*Hom. in Fest. Omn.
Sanct.*) à malè affecta oculorum acie non mo-
do

dò non appeti, sed & vitari, odióque haberi lucem. Cujus rei exemplo esse possunt duo illi nequissimi senes, qui ad Susannæ conspectum flagitiosa cupiditate succensi, (*Dan. 15.*) *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Usque adeò, qui pravis suis libidinibus excæcandum se præbuit; non modò, quod Gregorius Nazianzenus de illo affirmavit, (*Or. 2. de Theol.*) *Ipsam quoque ignorantiam suam ignorat;* sed præterea ipsam quoque ignorantiam suam amat. Quò extremæ infelicitatis, & malitiæ hujusmodi homines progredi, apertè satis declaratum est à B. Evangelista Joanne, ubi scripsit, *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant enim opera eorum mala. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem.* (*c. 3.*)

7. Cùm igitur inordinatæ animi affectiones tantum impedimenti afferant, DEI cognitionem quærentibus; si hæc nobis cordi est, debemus omni studio & conatu ad illarum purgationem incumbere, ordientes à crassioribus, magisque noxiis, pergentesque deinceps, à reliquis item cor emundare, donec perfectissimam, quæ haberi à mortalibus potest, affectu integritatem fuerimus: quantò scilicet in hac proficimus magis, tanto ad

purissimum illud objectum attentè contem-
landum, intimèque perspiciendum. aptiores
futuri. Nam & verissimè Trismegistus pro-
nuntiavit (*Pim. II.*) *Simile à simili semper cognos-*
ci; & nulla ratione alia simplicissimæ DEI na-
turæ similiores fieri homines possunt, quàm
per sejunctionem animi à rebus corporeis. Et
sanè adeò sibi respondent, & ad amissum in-
vicem coæquantur prædicta animi segregatio
à speciebus corporeis, & habitudo ad spiritua-
lia objecta intuenda; ut D. Thomas pluribus
in locis (*1. p. qu. 12. a. II. & qu. 86. a. 4. ad 2.*)
affirmet, id causæ esse, cur in somnis, extra-
que usum sensuum, impertiri hominibus spe-
cialiter soleant visiones divinæ, & rerum fu-
turarum præfagia. *Anima nostra quantò magis*
à corporalibus abstrahitur, tantò intelligibilium ab-
stractorum fit capacior. Unde in somnis, & alie-
nationibus à sensibus corporis magis divinæ revela-
tiones percipiuntur, & prævisiones futurorum. Ubi
promptum cuivis animadvertere est, si natu-
ralis quoque à sensibus abalienatio per deli-
quium, aut somnum, habiliores ad spiritua-
lia percipienda animos reddit; quantò id fa-
ctura veriùs pleniùsque sit supernaturalis ab-
iisdem sejunctione, in Christiano bonorum sen-
sibilium neglectu consistens. Cui proinde
accomodat S. Gregorius illa de DEO in sacris
Lit.

Literis verba, (*Job. 33.*) *Per somnum in visione nocturna aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ: eandemque item, utpote mysticum quemdam somnum, significatam esse ait à sacra Sponsa, (Cant. 5.) dum gloriaretur, sopitos quidem sensus, sed cor experrectum se habere: Ego dormio, & cor meum vigilat. Ac si diceret, dum exteriores sensus ab hujus vitæ solitudinibus sopio, vacante mente vivaciùs interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat: quia, dum exteriora quasi non sentio, interiora solertè apprehendo. (L. 23. Mor. 12.) Cæcos igitur, & quodammodo sinè sensu ad inferiora hæc objecta esse nos convenit; si ad superiora percipienda illuminari divinitus volumus: qualis luna esse cernitur, nunquam lucis plenior supernè, quàm cum ex inferiori, & obversa terris parte cæcutiens est. Non licuit Jacobo jucundis formosæ Rachelis amplexibus potiri, priusquam cum Lippa ejus sorore concubium inisset: nec nobis, iudice ac teste D. Augustino, optatam contemplationis divinæ jucunditatem assequi dabitur, nisi prius in laboriosa terrenorum affectuum coërcitione versati diligenter fuerimus. (L. 22. contra Faust. c. 58.) Nam prior est in recta hominis eruditione labor operandi, quæ justa sunt, quàm voluptas intelligendi, quæ vera sunt. Quam ejus sententi-*

am breviori sermone Ecclesiasticus concludit, scribens: *Fili, concupiscens sapientiam, apprehende Justitiam.* (c. 1.)

8. Jamque hac propositi mei parte defuncto pergendum foret ad ea, quæ supersunt; nisi nonnullorum oblocutionibus retinerer, fucum sibi à me factum quærentium: utpote qui pollicitus sum, divinam scientiam perfacile obtineri ab omnibus posse; jam verò eidem consequendæ necessariam statuat puritatem cum externam à pravis actibus, tum interiorem ab inordinatis affectibus: rem scilicet difficillimam, ac rari adeò conatûs, ut à nemine, quamdiu in terris vivit, tota acquiri, & penitus queat. Sed non magni negotii est, talia objicientibus respondere. Imò non unum, sed duplex responsum in promptu mihi est, utrumvis per se, ad refellendas eorum querimonias, sufficiens. Valeat ad prioris quasi fundamentum, quod supra constitui, gaudeoque, uberius jam mihi esse explicandum: nimirum neque cognitionem DEI, neque illius instrumenta indivisæ adeò quantitatis rem esse; ut iis vel secundum omnimodam suam perfectionem potiri, vel in totum carere necesse sit: sed tam unam, quàm alteram posse intrà suum genus majoris, vel minoris modi esse. Utque id appareat, quan-

G

tum

tum ad puritatem animi, de qua in present
agimus, nemo non videt, plures esse impari
perfectionis gradus, ad quos ea possit pertin
gere. Nam primò, si puritas actuum specte
tur: potest illa ejusmodi esse, ut vel solas ca
pitales noxas ab animo excludat; vel ulterius
progrediens leviores quoque, ac veniales de
liberatas procul indè habeat; vel demum ip
sismet subreptitiis, nec penitus deliberatis
quantum fas est, aditum obstruat. Nec secus
si affectuum puritatem libeat attendere, pos
se hanc item videbimus, tam secundum ma
teriam, affectus nempe ipsos, qui expurgan
di sunt, quam secundum formam, nempe ho
rum expurgationem, magis progredi, au
minùs. Et affectus quidem pro diversa, &
inæquali sua pravitate ad tres classes redig
queunt. Locum in prima ii sibi vendicant,
quorum turpitude maximè rationi adversa
tur, quibusque ideo ceu fœdari summa impu
ritas; sic carere non nisi infimus munditiei in
terioris est gradus: cujusmodi sunt præpo
steræ interdictarum voluptatum, fucati hono
ris, luxûs supervacui, aliarumque id genus re
rum, vel apprimè indecentium, vel omnino
inutilium libidines. Secundam constituunt
affectiones modò dictis minùs noxiæ, & ab
surdæ, multisque etiam spiritualibus viris
com

communes : puta æquo majus suæ existimationis , & benevolentix apud homines studium, sollicitudo de subsidiis , & commoditatibus corporis , oblectationum , ex ludis , spectaculis , aliisque genii delinimentis provenientium aviditas , omnisque , ut summatim dicam , appetitus bonorum , quæ , licet fluxa & terrena , non tamen seu ex genere suo inhonesta , seu penitus supervacua humanæ vitæ usibus sunt. Ad tertiam demum pertinent animi motus , suapte naturâ laudabiles , nec quidquam , nisi honestum spectantes , non tamen ab omni labe integri, eò quòd perfectæ rationis ordinem, ac modum transiliant. Quos inter recenseri possunt , nimius sciendi ardor , sollicita anxietas circa operum publicè utilium successus , amarulenta de alienis criminibus indignatio , inquietas & immoderata ægritudo , sive ob tardiores , quàm vellemus , in via spirituali progressus , sive quòd careamus necessariis ad proximos juvandos naturæ præfidiis , sive quòd frustrata eventu suo sint, quæ pro DEI gloria , & communi animarum bono susceperamus consilia. Denique , quod ad purgationem animi à prædictis affectibus pertinet , facile cuivis observatu est , posse illam circa singulos , vel perfectiorem , vel minus perfectam esse : prout videlicet vel satis

habet, inordinatos motus aliquatenus moderari, ità ut minùs crebri, & vehementes in animo exurgant, vel excindere omnino conatur, ità ut vix tenue eorum vestigium superfit.

9. His ergo ad rei explanationem præmissis, si de perfectiori illa puritate sit sermo, qua complures sanctissimos Viros enituisse accepimus, quæque ad extraordinariam DEI cognitionem requiritur; haud sanè inficiari, decus illam esse humanæ infirmitati arduum, quòdque nec brevi tempore, nec nisi heroica virtute, & summo animi nisu comparari queat. Sed neque inficiari quisquam potest, si de aliqua inferioris gradùs, & minùs eximia puritate agatur; nequaquam difficile factu esse, ut quilibet vitæ spiritualis professor illam sibi asserat, illaque præparatus, ad cognitionem DEI, si minùs perfectissimam, saltèm necessariam, & piè victuro sufficientem perveniat. De qua, utpote magis communi, locutus suprà ego sum, ubi divinam scientiam paratu facilem dixi. Non ergo par est, ut quisquam vel supremos huius gradus se illico assecuturum præfidat; vel à mediis tentandis, per animi imbecillitatem abfistat: sed ut omnes potiùs, obtutu in summa defixo, & plus semper affectent, & nunquam
mi-

minùs contentur, quàm secundùm præsentem virtutem suam possunt: persuasum habentes, non pœnitendam quancumque laboris mercedem fore, vel mediocrem in tam nobili studio progressum: sique pergant constanter, non dicam volare, sed gradatim ascendere; post aliquod temporis spatium ea sese pedibus signaturos fastigia, quorum altitudinem nê oculis quidem priùs assequi poterant. Parva semper solent esse rerum etiam maximarum principia, regalisque opulentiaë thesaurus non ei solùm ditando par est, à quo totus, sed illi etiam, à quo ex quarta, vel minori etiam sui parte obtineatur. *Magnæ rei, quantumcunque possederis, participem fuisse, non minima est gloria.* (Colum. L. II. c. 1.)

10. Verùm esto, non mediocri conatu & labore quantumcunque hujus studii profectus constaret; adhuc nihilominus verè diceretur, non carò emi divina scientia, sed posse à quovis perexiguo labore, atque sumptu obtineri: cùm ea tantum sit bonum, eximiùque adeò pretii thesaurus; ut quidlibet operis, acquirendæ illi impensum, mereatur pro minimo haberi. Quod ut planius cognitu fiat, animadvertendum est, laboris atque sumptûs magnitudinem non tam ex propria ipsius quantitate, quàm ex rei, pro qua impen-

ditur, meritò colligi: nimirumque ideò pro vulgari quapiam merce illud posse pretium videri, quod pro excellentiore alia instar nihili esset. Sic minimi impendii, magnæque felicitatis ducitur munitissimam arcem vel post duas, trêsq; aggressiones cepisse: cùm tarda è contrario ac dispendiosa videatur, nisi primi assultûs præmium fuerit, ignobilis castelli expugnatio. Idem dic de præfecturis, & dignitatibus, idem de scientiis, & artibus: pro quarum nonnullis exiguum, ac perlevem eum laborem censemus, quem pro aliis ejusdem generis, sed inferioris notæ, existimarem gravissimum. Tanti est, ad minuendum in nostra æstimatione quemvis sumptum, magnitudo & præstantia. Hoc igitur posito, admissoque universali principio, si quis etiamnum pergat, quæ ad cognitionem DEI requiruntur, plùs nimio difficilia appellare; eodem illo confutari à me potest responso, quod olim Manilius nonnemini reddidit, expositam ab eo siderum scientiam nimirum abstrusam esse objicienti, quæque sinè magno mentis conatu intelligi haud posset. Nempe delicatulis hujusmodi querelis lacessitus Poëta, ad earum se authorem convertit: vultique nescio plùsne admirationis, an stomachi præferente. Quid enim, mi homo?

in-

inquit: num caulium plantandorum, vel fingendorum è creta laterum artem in hisce tepiginis reperturum putabas? (L. 4.) *Quod quæris, DEus est.* Revoca sis in memoriam, de rebus hîc agi nobilissimis, de rebus divinis, de rebus non loci solùm positu, sed & naturæ dignitate ac præstantiâ terrenum hunc orbem longissimè supergressis, de rebus postremò, pro quarum intelligentia nullus existimari possit labor non levis, nullum pretium non vile. *Quod quæris, DEus est. Conaris scandere cælum, & transire tuum pectus, mundoque potiri. Pro pretio labor est, neque sunt immunia tanta.* Tum verò acrius excandescens adversùs humanarum opinionum pravitatem. Ah genus cæcum, exclamat, genus consilii expers, inque ponendo rebus pretio à veritate & ratione penitùs devium! stimulante auri, & gemmarum cupidine, pertransitur Oceanus, extrema Orientis petuntur, nihil laboris & incommodi retinet, nullis non periculis caput objicitur: próque veritatum altissimarum, cælestium, divinarum quæsitum grave nimis videbitur, in eas paulò attentius mentem defigere? *Ut veniant gemmæ, totus transitur orbis. Quærimus lucrum navi, mortemque sequimur in prædam. Pudeat tantò bona velle caduca. Quid dabimus cælo? Quantum est, quò veneat omne?* Ac de-

mum responſionem ſuam omnem concludit
 verſu illo planè aureo, quo & ipſe coronidem
 huic capiti imponam: *Impendendus homo eſt, DE-*
us eſſe ut poſſit in illo. Ità profectò: hæc omnis
 permutatio noſtra eſt, hæc ſumma omnium,
 quæ puritas in præſenti capite commendata à
 nobis requirit. Requirit, ut humanis nos af-
 fectionibus exuamus, quò aptiores ſimus ad
 excipiendas illuſtrationes divinas. Requirit,
 ut cor ab humo avellamus, quò liberior ad
 cælum mens evolet. Requirit tandem, ut ex-
 purgemus iis animum, unde ille fœdatur, ac
 deprimitur, quò impleri aliis poſſit, deco-
 rem ac nobilitatem ipſi allaturis. Et hoc vo-
 catur carò emere? Imò hoc eſt lucrari dupli-
 citer, : lucrari primò, ratione mercis, quæ ac-
 quiritur; & lucrari rurfus, ratione pretii,
 quod ſolvitur. *Impendendus homo eſt.* En pre-
 tium, nihil continens ampliùs, quàm abdicat-
 tionem imperfectionis, vilitatis, miſeriæ. *De-*
us eſſe ut poſſit in illo. En merces, nihil affe-
 rens minùs, quàm cumulum omnis perfecti-
 onis, omnis gloriæ, omnis boni. O preti-
 um felix, dignumque haberi pro maximo quæ-
 ſtu? O merces inæſtimabilis, & pro qua vel
 æſtimatiſſimum quodvis pretium videri inſtar
 nihili queat! O pretium, quod tamenſi nihil
 ultrà fructûs pareret, vel ſemet ipſo dunta-
 xat

vat fatis potest repensum putari! O merces,
quæ quamvis toto hominis censu constaret;
nequit dici, nisi per gratuitam largitionem
oblata.

CAPUT VII.

De tertio instrumento, quod
est consideratio, deque duplici con-
siderandi DEUM modo, considerandi
nempe in rebus creatis, & consideran-
di in se ipso.



Ed neque animi puritas totum de-
nique id est, quod orationi su-
peraddere oportet, ut quæsitam
DEI cognitionem certò assequa-
mur. Desideratur præterea, ut, post impe-
tratum animæ lumen divinum, postque inte-
riorem illius visum à terrena quavis labe e-
mundatum, eam porrò, quàm attentissimè fi-
eri potest, in cælesti suo objecto figamus.
Quemadmodum enim oculorum acies, esto
acutissima sit, & vel subter humum obtutu
pervadens, qualem in Lynceo fabulatrix an-
tiquitas finxit; totâ tamen hujusmodi perspi-
cacitate nihil juvatur ad videnda ea objecta,
quæ intueri prætermiserit; sic, quantumlibet
di-